

6218 [= 4138] infra sculptam esse infulam episcopalem cum imignibus Columnensium ait WINGHIVS. Caietae in cathedrali MVR.; in pavimento templi maximi DON. WINGH.

† PANDE TVAS PARADISE FORES SEDEMQVE BEATAM
ANDREAE MERITVM SVSCIPPE PONTIFICIS
CVLTVR IVSTITIE DOCTRINE ET PACIS AMATOR
QVEM VOCAT AD SVMMVM VITA BEATA BONVM
5 PLENVS AMORE DĪ NESCVIT VIVERE MVNDO
AD FAMVLO XPI GLORIA XPVS ERAT ☉
QVAE MEDITATA FIDES ET CREDITA SEMPER INHESIT
HAEC TE VSQVE AD CAELOS ET SVPER ASTRA TVLIT
NVMQVAM DE MANIBVS TIBI LEX DIVINA RECESSIT ☉
10 ELQVIVM DNI VIXIT IN ORE TVO
ROMANAMQVE PRIVS DECORAVIT PRESBYTER VRBEM
CVLMINIS AVCTVS HONOR HIC DEDIT ESSE PATREM
DISTRICTVS SVB IVRE PIO ET MODERAMINE CERTO
VTQVE BONVS PASTOR TEXTIT AB HOSTE GREGEM
15 HOSPITIB · GRATVS SE IPSVM DONABAT EGENIS
ILLOS ELOQVIO HOS SATIABAT OPE ☉
PRAESVLE SVB TANTO FLORENS AECLESIA MATER
CREVIT MVNERIBVS CREVIT ET OFFICIIS
VIXIT ANN · PM · LXX · PRESB · ROMANVS ANN · XII ET IN EP
20 AN · XXVIII M · X · D · XX REQVIEVIT IN PACE XIII KAL · NOV ·
CONS · DECI IVN ·

p. C. 529

Duo exempla extant, alterum Cittadinianum opinor apud Winghium cod. Brux. f. 28', cod. Menestreriani apud Rossium f. 229' et Donium Vat. 7113 f. 85 (95), alterum, Accursii puto, apud Mur. 421, 1 ex schedis suis.

In minoribus secutus sum Winghium. — 1 FLORES Don. — 2 ANDREE Don. — 3 IVSTITIAE DOCTRINAE Mur. — 6 AT Mur. — 7 INHAESIT Mur. — 10 VIXT Don. — 13 ET Mur., TITVLI Don. — 14 REXIT Mur. — 15 HOSPITIBVS Mur. — DONAVIT Mur. — 18 ECCLESIA Mur. — ET] IN Don. — 19 ANN·XII] VII Mur. — 20 ANN·XXVII Mur. — XIII] XVI Don.

LXXXIII. FVNDI (Fondi). Tribu Aemilia.

Fundi (Φούνδα Stephanus s. v. non recte) easdem fere vices subierunt atque vicinae Formiae easdemque adeo sermonis proprietates usitaverunt, quaeque de Fundanis dicenda sunt, ibi fere (vide p. 602) occupavimus. — Fundi non belli iure, sed sponte sua, si quidem vera annales Romani tradiderunt, Romae parere coeperunt a. u. c. 422 data civitate sine suffragio sive municipii iure; bello quod paullo post a. 425 cum Privernatibus gestum est quamquam cives Fundani multi interfuerunt adeoque dux Vitruvius Vaccus Fundanus fuit, ipsi a publica rebellionis communiione sese purgaverunt (Liv. 8, 19). Suffragii ius acceperunt cum Formianis lege Valeria a. 566, post quod tempus certe opera publica Fundis ad censores Romanos pertinuerunt (Liv. 41, 27, 41). Praefectum Roma missum ius dixisse Fundis praeter Festum (vide supra p. 602) confirmat tessera n. 6234 ante bellum Italicum exarata. Eam si recte intellegimus, efficitur ex ea Fundanos cum ea condicione essent, senatum quidem habuisse, *conscriptos* scilicet, sed in decreto faciendo consensu praefecti opus fuisse. Posteriore tempore *municipii* loco fuerunt (n. 6245). Praeterea nomen invenitur in itinerariis, cum via Appia per Fundos transeat (supra p. 59), et apud chorographos (Mela 2, 4, 71; Ptolemaeus 3, 1, 63; cf. Cicero de l. agr. 2, 25, 66) et alibi. In libro coloniarum p. 234 sic est: *Fundis oppidum muro ductum: iter populo non debetur: ager eius perennis(?) limitibus pro parte in iugeribus et in laciniis est adsignatus*. Magistratus Fundis praefuerunt *aediles* numero tres (n. 6233. 6234. 6235. 6238. 6239. 6242, ex quibus de numero constat; praeterea n. 6228. 6232. 6241. 6243), pro quibus praetorem posuit Horatius (sat. 1, 5, 34: *Fundos Aufidio Lusco praetore libenter linquimus insani ridentes praemia scribae praetextam et latum clavum prunaeque vatillum*) vocabulum carmini minus aptum fastidians; cf. quae dixi in Hermae vol. 13 p. 113. *Aedilis quinquennalis* reperitur n. 6240 et fortasse n. 6244, *quinquennalis* nude n. 6236 (adde titulum Narbone inventum Grut. 369, 3: *L. Aufidio L. f. Aem. Viniciano Epagatino aed. bis quinq. bis Fundis*). *Interrex* hic quoque occurrit n. 6232 similiter atque Formiis (vide p. 602). Accedit *quaestor alimentorum* n. 6243. *Senatus* sic appellatur passim (n. 6233. 6234. 6235. 6238. 6239. 6242). In re sacra adhuc non inventi sunt nisi soli *augures* (n. 6236. 6241). Tribum Fundanorum Aemiliam praeter Livium (v. p. 602) testantur et domestici tituli complures et

Troesmensis (vol. III n. 6195: *Tib. Veturius Tib. fil. Aemilia Mauretanus Fundis*) et matricula urbana (vol. VI n. 3884, 1, 35: *L. Aemilius L. f. Aem. Regillus Fund.*). Non offendit tribus diversa inscriptionis in monte Poenino repertae (vol. V n. 6881: *L. Paccius L. f. Pal. Nonianus Fundis*) omnino cum personae condicione coniuncta; at magnopere qui in eadem illa matricula (4, 9) recensetur *M. Arruntius M. f. Maec. Antoninus Fund.*, ubi fortasse *Fund.* errore fabrilis scriptum est pro *Brund.*

Orae agro Fundano comprehensae pars fuerunt *Speluncae* (Cicero pro Flacco 17, 39: *ad Speluncas*, Plinius h. n. 3, 5, 59: *locus Speluncae* quique infra citantur Strabo, Suetonius, Tacitus), quas iudicant viri docti fuisse ibi ubi nunc est Sperlonga fortasse non recte, nam auctores locum indigitant ad Terracinam Amyclis proximum. Collocantur autem iuxta lacum Fundanum (Plinius h. n. 3, 5, 59) sive Amyclanum (Isigonus apud Muellerae fragm. hist. 4 p. 437: *περὶ δὲ Ταρρακίαν τῆς Ἰταλίας φησὶν Ἰσίγονος λίμνην εἶναι Μυκλαίαν — immo Ἀμυκλαίαν — καλουμένην*) fabulosae *Amyclae* sive *Amunclae*, quae conditae feruntur a Laconibus (Servius ad Vergilii Aen. 10, 564), deletae a serpentibus (Isigonus l. c. pergit: *καὶ παρ' αὐτῆ πόλιν ἔρημον, ἧς τοὺς ἐνοικοῦντας στεργηθῆναι τῆς πόλεως διὰ τὸ πλῆθος τῶν ὕδρων*; Plinius h. n. 3, 5, 59. 8, 29, 104; Solinus 2, 32; cf. Silius 8, 530), a quibus mare vicinum Amyclanum dici consuevit (Tacitus ann. 4, 59; Plinius h. n. 14, 6, 61). Has fuisse in territorio Fundano et propter naturam locorum certum est et diserte testatum (Martialis 13, 115). Bius orae magnam partem aetate imperatoria principum fuisse colligitur ex procuratore Augusti qui fuit *Formis Fundis Caietae* (Orelli 2954). Eodem referimus principum *villam Mamurranam* (Orelli 103; cf. vita Pii c. 10. 11) et Caietae quae fuit (Martialis 5, 4, 5) et splendidum praetorium ad Speluncas (Strabo 5, 3, 6 p. 233: *ἀνώγέ τ' ἐνταῦθα — inter Caietam et Tarracinam — σπηλαῖα ὑπερμεγέθη κατοικίας μεγάλας καὶ πολυτελεῖς δεδεγμένα*) notum propterea quod Tiberium ruina saxorum paene oppressum Seianus ibi servavit (Suetonius Tib. 39: *iuxta Tarracinam in praetorio cui Speluncae nomen est*; Tacitus ann. 4, 59: *in villa cui vocabulum Speluncae, mare Amunclanum inter Fundanosque montes, nativo in specu*). Ad id vel vicinum simile referendus est libertus Augusti qui *tutelam praetorii* exercuit tituli Caietani n. 6093.

Fundana epigrammata ex auctoribus saec. XV exeuntis et XVI incip.